

pturis sacris legitur, tantum de hac arte sentire; [*Hæc A inanam sequi sententiam, unde, quantum nobis ex-
desunt in mss.*] quia nimis iudeorum est hinc hu- dit, divinam noscimus habere doctrinam.

COMMENTARIUM

DE ORATIONE ET DE OCTO PARTIBUS ORATIONIS,

M. AURELIO CASIODORO ATTRIBUTUM

592 Oratio dicta est quasi oris ratio: ejus partes octo numerantur; de quibus duas primas partes jura dictas Aristotelici esse voluerunt, nomen, et verbum: cæteræ vero velut appendices sunt, siquidem pronomen vice nominis fungitur; adverbium absque verbo non plenum est, participium de nomine verboque nascitur; conjunctio autem nomen conjungit, aut verbum; præpositio nomini præponitur, aut verbo; interjectio locutioni nostræ interjecta profertur; quam elocutionem docuitque necessario ex nomine verboque constare. Dandæ quod ex cæteris partibus orationis nequaquam plena est elocutio, ut si dicamus ante templum, et non jungamus ambulo, pendet oratio. Nam cum dicimus, Cicero scripsit, orator docuit, quod certe ex nomine et verbo per se plenum est.

Stoici vero quinque dicunt partes orationis, nomen, pronomen, verbum, adverbium, participium. Plures vero partes orationis dicunt esse qui articulum inter has numerant. Articulus sane, quem Græci inter partes orationis enumerant, apud Latinos in pronomine est. Interjectio quam Latini inter partes orationis enumerant, apud Græcos in adverbio est.

Sciendum est autem quod quatuor partibus accidunt casus, nomini, pronomini, participio et præpositioni.

Tres sunt quæ per casus declinantur, nomen, pronomen, participiumque; una per tempus, et per personas, ut verbum; una per tempus et casum, ut participium; quatuor nec per tempora, nec per casus declinantur, ut adverbium, conjunctio, præpositio, interjectio. Sed ne forte nos turbet, quod Virgilius mane adverbium cum genere posuerit dicendo: Cum mane illuxisset novum; quod utique genus habet casum, nullum autem genus absque casu est.

Sciendum est quod nomen et adverbium quandam inter se habent cognationem, alterum pro altero positum significare aliud, sed tenere vim suam. Nam quemadmodum nomina, cum pro adverbis posita fuerint, casus accipiunt; ut torvum repente clamat, horrendumque resonat, dulce sapit; dicitur enim hoc torvum hujus torvi, etc. et non tamen perdunt casum cum pro adverbis ponantur: ita e contrario adverbia cum pro nominibus posita fuerint sequente genere, quamvis significationem nominum subeant, tamen non perdunt legem adverbiorum, ut declinantur.

Quærent nonnulli cur ita partes orationis Donatus ordinarerit. Sed nos dicimus quod nomen idcirco anteposuerit, quia ante nomen nihil potest esse; tolle enim vocabulum nominis, quemadmodum voces cæteras partes orationis, non habes. Pronomen ideo secundum obtinet locum, quod de nomine pendens, vice hujus fungitur. Verbum ideo tertio loco ponitur, quia simul (ut superius diximus) cum nomine principalis pars orationis reperitur; quod tamen secundum locum tenere potuisset, nisi pronomen impenderet ex nomine. Adverbium ideo quarto loco constituitur, quia sine verbo plenum significatum sui non explicat. Participium ideo quinto loco ponitur, quod obnixum sit tam verbo quam nomini. Conjunctio ideo sexto loco ponitur, quia nisi præcedat supradictæ partes orationis, quod conjungat, non habet. Præpositio ideo septimo loco ponitur, quia nisi præcedat nomen, pronomen, verbum, adverbium, partici-

pium, conjunctio, quibus præponatur non habet, quibus etiam solis præpositio esse constat. Interjectio necessario remanet in ultimo, quod post nomen, non nisi pronomen; post pronomen, non nisi verbum; post verbum, non nisi adverbium; post adverbium, non nisi participium; post participium, non nisi conjunctio; post conjunctionem non nisi præpositio esse debeat. Interjectio quasi interjecta inter octo partes orationis non nisi octavo loco poni potuit.

CAPUT PRIMUM.

De nomine.

Nomen dictum est quasi notamen, quod notam nobis unamquamque rem faciat. Nomen est pars orationis cum casu, corpus aut rem proprie communiterve significans. Separatur autem definitio nominis a cæteris partibus orationis hoc modo; nam cum dictum est cum casu, separat ab aliis quinque partibus orationis, quæ non habent casum; id est, a verbo, ab adverbio, a conjunctione, a præpositione et ab interjectione. **593** Ab aliis vero duabus casum habentibus pronomine scilicet et participio separat Donatus, cum dicit proprie aut communiter nomen aliquid significare; nullum autem pronomen, neque participium proprium invenitur. Constat autem aut corpus, aut res, aut proprie, aut communiter, aut casus; sed non omne nomen necesse est, ut simul ista quinque contineat, sed semper tria continet; ut homo habet casum, corporale est et appellativum; item habet casum pictus, incorporale est et appellativum. Necesse est autem omne nomen habere casum; ideo dixit Donatus partem orationis cum casu: non enim cum casibus dixit, sciens quod quædam essent nomina quæ non flecterentur per omnes casus; et quod nullum nomen esset quod usquequaque omnibus careret casibus. Inveniuntur enim nomina monoptota, ut sponte, tabo, natu; diptota, ut Jupiter; triptota, ut templum; tetrapto, ut ditiosus, ditiosi, ditiosum, ditiosus; ejus nominativum et vocativum non profuerunt, nisi adjecta consyllaba, ut conditio. Pept. pta ideo inveniri non possunt, quod ubi nominativus deest, necesse est ut vocativus non inveniat. Exapto, ut doctus-magister.

Nominum qualitas in duas dividitur partes: aut propria, aut appellativa sunt nomina. Illud autem sciendum est, quod quando appellativa nomina in personas cadunt proprietatis, appellativa esse jam desinunt; ut si quis felix vocetur, quia quantum ad illum pertinet, unus est, ideo proprium invenitur. Propria appellativa esse non possunt; e contra sunt propria, exceptis montium fluminumque nominibus, quæ ipsa interdum facimus appellativa, ut si aliquos Mercurios vocemus. Sed cum nos communia singulis personis opponimus, sic est ordinata proprietatis. Nam si essent nomina specialiter propria, cum audiremus, Alexander hoc fecit, non interrogaremus ulterius, quis Alexander hoc fecit? Sed quia scimus Alexandros multos dici, sic dubitamus quis Alexander hoc fecit.

Sciamus autem hoc non recte dici, quod ad omnem hominem pertinet, aut appellationem, aut vocabulum, sed nomen, ut Alexander; non iterum (quod rerum est) aut nomen, aut appellationem, sed vocabulum;

sed modo pro appellationibus et pro vocabulis confusa nomina apponi scimus.

Propriorum nominum quatuor sunt species. Prænomen, quod idcirco dictum est, quia præcedit nomen, ut Publius Cornelius. Nomen, quod ex familia venit, ut Anicius. Cognomen, quod proprie nostrum est, ut Sylla, Catilina. Agnomen, quo aut ex virtute, aut ex vitio aliquo utimur: ex virtute, ut Africanus, qui vicit Africam; ex vitio, ut Naso, quod grandem nasum habuit; unde dicitur Ovidius Naso; Sura, quod a sura grandi dicitur, ut Publius Lentulus Sura. Meminerimus autem non necesse esse ista quatuor priorum generum nomina simul inveniri. Aliquando enim unum ex his invenimus, ut Romulus; aliquando duo, ut Anicius Marcus; aliquando tria, ut Lucius Cethegus Catilina; aliquando quatuor, ut Publius Cornelius Scipio Africanus.

Sit itaque ordo interrogandi, et cum dicimus, Africanus, quæ pars est orationis? non statim respondemus, agnomen est: sed, nomen est. Deinde, quale sit nomen? respondeamus proprium est. Postremo quæ pars proprii? respondemus agnomen. Quomodo dicemus de 27 nominibus appellativis; ut si interrogamus: homo, quæ pars est orationis? dicimus nomen. Deinde, quæ pars est nominis? dicimus appellativum. Deinde, quæ pars est appellationis? dicimus, specialia.

Scimus autem nomina, prænomina aut ternis consistere literis, ut Sex. Roscius; vel binis, ut Gn. Pompeius; vel singulis, ut C. Caius Verres.

Et in questionem venit quare C. Caius ponimus, cum dicimus Caius et non Caius? Quia antiqui C non habuerunt, sed ponentes C in quibusdam nominibus per sonos sensum discernabant. Scimus nos, quod quædam sonare aliter debent, ut puta cemma cum per c scriptum esset, dicebant gemma per g, quod deberent sic sonare per g.

Verum solent hæc ipsa prænomina fieri cognomina, ut si quis vocetur Lucius, vel Caius; sed quando ad unumquemque pertinent, proprio vocantur cognomina; quando præposita sunt cognominibus, hoc est nominibus propriis, vocantur prænomina, ut Lucius Sylla. Verum hoc prædictæ rationi nullum debet præferre iudicium. Talis est et illa cavillatio recollecta, quare cum propria nomina pluralem numerum non admittant, legimus Curios, magnosque Camillos Scipiadas. Sed sciendum est non ab eo quod est Curius unus, hi Curii, vel ab eo quod est hic Camillus, venire hi Camilli; sed a multitudine Curiorum vel Camillorum, Curios Camillosque dicimus. Non enim unus fuerat tantum Curius vel Camillus, sed si quis tres servos habeat qui vocentur Alexandri, necesse est ut vocet illos Alexandros; qui casus plures veniunt, non a singulari numero, qui est hic Alexander, sed a plurali, qui sunt Alexandri.

Appellativorum nominum sunt species 27: sunt enim corporalia, ut lignum, et marmor; sunt incorporalia, ut honor, medicina; sunt primæ positionis, hoc est ante derivativa et diminutiva veniunt, ut schola, scholasticus, scholasticulus.

Sciamus autem tres gradus diminutionis esse sequendum Donatum, per quos cum diminuitur nomina, sæpe crescit numerus syllabarum, ut scholasticulus, scholasticellus, scholasticellulus. Apud antiquos vero aliter dicebantur, agnus, agnulus, agnellus, agnicellus, agnicellus, agnicellulus. Quam rem Donatus videns (ne in infinitum diminutio hæc procederet), voluit diminutionis dicere tres tantum gradus esse. Sæpe autem idcirco dixit augeri numerum syllabarum, quod inveniuntur quædam nomina quorum numerus in diminutione non modo non crescit, sed etiam minus habet syllabarum gradus ulterior, ut homo, homuncio, homunculus, homulus.

Sunt autem diminutiva specie, quæ idcirco specie potata sunt diminutiva, quia quasi diminutivorum nominum speciem gerunt, ut fabula, macula, tabula, ferula; ideo autem non sunt jure diminutiva, fabula,

macula, tabula, ferula, quia horum non invenitur prima positio. Sciendum est quod diminutivorum forma lectione potius quam arte colligitur.

Sunt ad integrum Græca nomina, et per omnes casus Græce perveniunt declinatione, ut Euterpe, Melpomene. Sunt quædam quæ dum in Latinitatem cadunt, Græcitatatis totum amittunt; nam cum dicit Græcus Ὀδυσσεύς, Latine dicitur 594 Ulysses. Sunt quædam quæ in Latinum versa eloquium ex parte aliquam formam Græcitatatis amittunt; quæ etiam notha dici voluerunt; dicit enim Græcus Agamemnon, Latinus Agamemno. Scimus quia omnia nomina apud Græcos in *on* syllaba terminata, cum in Latinum transferuntur *n* et *er* dicitur, et *o* in *o* correptum mutare. Item omnia nomina apud Græcos per *e* exeuntia, cum in Latinum veniunt, ipsa *e* in *a* solent commutare, in nominativo scilicet singulari, ut Helene, Helena; sed quia de femininis nominibus diximus, ea nomina non patiuntur illud; quæ autem aliter lecta sunt, aut quæcumque ita transformantur, ut asperum resonare non possint, ut Agane, non faciunt per duritiam Agana.

Sunt quæ plurimis nominibus rem unam demonstrant, quæ Græci synonyma vocant; ut si terram velimus multis significare nominibus, et dicamus humus, tellus, solum, terra; sunt quæ e contrario per unum nomen plura significant, quæ Græci vocant homonyma, ut si dicamus aciem, incertum est enim cuius rei dixerimus; nam dicitur et oculorum acies, hoc est intentio; et ferri, hoc est acumen; et exercitus, hoc est ordo. Sunt quæ a patribus et matribus avisque descendunt, cum tamen significatione Græca. Hæc nomina patronymica vocantur, quorum patronymicorum masculina tres habent regulas, quibus terminantur; exeunt enim aut per *des*, aut per *ius*, aut per *on*, ut Atrides, Atrius, Atrion; sed in *on* terminata apud Latinos usum non habent.

Femina quoque tres formas habent; exeunt enim aut per *eis*, aut per *ias*, aut per *ne*, ut Atreus, Atrias, Atrine, ut apud Virgilium, Nerine Galatea. Sane considerandum est quia patronymica Græca cuiuscunque generis Græca melius regula profecerunt.

Sunt alia Thetica, quæ etiam possessiva dicuntur, quæ de patronymicorum regula descendunt, et ad eorum similitudinem in *ius* terminantur, sed in hoc discernuntur, ut Evandrius Pallas, patronymicum est; quando dicimus Evandrius gladius, possessivum, hoc est, et hoc non est illud.

Sunt alia medice significationis quæ aliis adjecta nominibus alii epitheta esse voluerunt, ut magnus, fortis: quibus nisi adjungamus, aut vir, aut exercitus, plena esse non possunt. Sunt alia qualitatibus, ut doctus, magnus, felix, pulcher; sunt alia quantitatibus, ut longus, brevis, latus; sunt alia gentis, ut Græcus, Italus, Gallus; sunt alia patriæ, ut Alexandrinus, Romanus; sunt alia numeri, ut unus, duo; sunt alia ordinis, ut primus, secundus. Sed constat quemadmodum dicimus de multis alium, de duobus alterum: ita dicimus de multis primum, de duobus primum. Sunt alia ad aliquid dicta, ut soror, frater; non enim dicitur soror cui nullus est frater; nec frater cui soror nulla est. Alia ad aliquid dicta qualiter se habentia, ut dies, lumen, nox, tenebræ, nigrum, album; non enim dicerentur tenebræ nisi ad colationem luminis. Verum inter illa nomina quæ dicuntur ad aliquid dicta, et ista quæ dicuntur ad aliquid qualiter se habentia, hoc interest, quod illa sic usurpantur, ut non sint inter se usquequaque contraria; in istis vero, quid tam contrarium est quam tenebræ a lumine, quam nocti dies, quam nigro album, quam sinistro dextrum; quorum nominum cooperativus gradus in usu est, ut dexter dexterior, sinister sinisterior, niger nigrior.

Sunt alia generalia, ut ars, et reliqua; sunt alia specialia, ut medicina, rhetorica, grammatica; sunt alia verbalia, quæ de verbis sunt, ut dictor, procurator; et sciendum est quod ex verbis talia nomina

hac lege descendant, ut gerendi modi ultimi temporis ultimam litteram in *or* vertamus, ut dicendi, dicendo, dicendum, dictum dictu, et dicamus dictor, commutato scilicet *u* in *o*, et adjecto *r*. Item procurandi, procurando, procurandum, procuratum, procuratu, facit nomen procurator, et reliqua ad hanc rationem pertinentia, quæ inventa sunt. Præterea sunt nomina quæ incertum est utrum verbalia sint, ut quæ in quaestionem veniunt: quaeritur enim utrum cantor dicatur an cantator, quæ utraque firmamus dici supradicta ratione; nam ab eo quod est canto, gerendi modus cantandi, do, dum, cantatum, cantatu, inde cantator. Item ab eo quod est cano, gerendi modus canendi, do, dum, cantum, cantu, inde cantor.

Item quaeritur auctor utrum per se aut de verbo oriatur, sed sciendum est quod a se nascitur; non enim habet originem verbi. Nam illud quod est augere, non nos seducat, quod inde veniat; aliud est enim augere, aliud auctorem esse. Omne enim verbum nomini ex se descendenti respondere debet, ut scriptor venit ab eo quod est scribo; omnis enim scriptor scribit, ut procurator venit ab eo quod est procuro; omnis enim procurator procurat. Deinde quæ est alia regula quæ hoc nomen ex verbo oriri prohibet: quia nomina verbalia aut in *or* exeunt, ut præcursor; aut in *tor*, ut scriptor, lector; at quæ in *or* exeunt feminina in *trix* non mittunt: quæ vero in *tor*, necesse est ut feminina in *trix* mittant, ut procurator, procuratrix. Hoc si a verbo venerit in *tor* scilicet terminatum, necesse habuit femininum in *trix* mittere, et facere auctrix; sed quia non dicitur auctrix, Virgilius testatur dicens: Auctor ego sum videndi.

Alia participii similia, ut sapiens, piens, demens, clemens, si comparationem recipiant, nomina sunt; participia vero, quando non recipiunt comparationem, ut lugens non facit lugentior; et e contra demens, or, mus, facit.

Sunt alia verbis similia, ut comedo; quæ, cum casum habuerint nomina sunt; cum tempus habuerint, verba esse certissimum est; et est comedo, tinea, si nomen; si verbum, prima persona est verbi activi, conjugationis tertiæ.

Comparationis definitio hæc est, elocutio alterum præferens, quanquam aliter definiant alii. Alii quatuor dicunt gradus esse comparationis: positivum, qui est doctus; comparativum, qui est tam doctus; prælativum, qui est doctior; superlativum, qui est doctissimus, dicentes non posse illum dici comparativum, qui est doctior, quia non tam comparare quam præferre videtur. Quod superius est sic definitum: Comparatio est elocutio quæ ex alterius collatione alterum præfert. Videtur enim hic comparativus gradus, qui est tam doctus, non tam præferre aliquos quam similes facere.

Quæritur quare positivus gradus dicitur, cum reliqui soli gradus positivi comparationis proprietatem obtineant? Respondendum est quod non agnoscere-mus illos gradus, nisi esset alter **595** gradus, qui comparationis situ careret?

Quæritur etiam et de nominativo casu singulari, quare dicitur casus? siquidem idcirco cæteri casus dicuntur, quia faciunt nomen cadere, ut doctus, docti, to, tum, te, to. Sed hac ipsa ratione, quod non diceretur aliquid cadere, nisi esset unde caderet, nec inflexum, nisi esset ante rectum: ergo quia hic cadere nomen per cæteros casus ostendat, dictus est casus.

Positivus gradus multas habet formas: aut enim in *us* exit, ut doctus; aut in *a*, ut docta; aut in *um*, ut doctum; aut in *is* correptam, ut fortis; aut in *is* productam, ut diis, ditior, ditissimus; aut in *e*, ut forte; aut in *ens*, ut sapiens; aut in *ans*, ut elegans; aut in *is*, ut felix; aut in *er*, ut pulcher; aut in *es*, ut dives, divitior, divitissimus, et reliqua si qua sunt quæ invenire poterimus.

A Comparativus vero duas formulas tantum habet. aut enim in *ior* exit, ut doctior, melior, et genus f.rit commune, excepto quo senior, non enim senior mulier dici potest; aut in *ius*, ut doctius, melius; et est comparativus gradus generis neutri, ut doctius municipium, melius templum. Est comparativus gradus adverbii; dicimus enim doctius scripsit, dicimus melius fecit; sed doctius quando ad nomen tendit, est generis neutri comparativus; quando tendit ad verbum, comparativus adverbii est.

Superlativus per tres formas exit, aut in *us*, ut doctissimus; vel in *a*, ut doctissima; vel in *um*, ut doctissimum. Illud sane prætermittendum esse non videtur, quod cum ab omni superlativo rimus, vel simus tollimus, positivus qualis sit invenitur; ut pulcherrimus; sublato enim a fine disyllabo, remanet pulcher positivus: unde fit ut ea nomina quæ in quaestionem veniunt, tunc possimus agnoscere.

Quæritur enim utrum acris dicatur, an acer; constat autem hodie utramque dici, de viro, ut in Virgilio: Humero Pelops insignis æburno acer. Acris verum de femina dicitur, ut apud Horatium: Solvit æm hiems.

Comparantur autem nomina appellativa, et appellativa, quæ aut a qualitate veniunt, in tres partes sunt divisa: in animum, ut prudens, honestus; in corpus, ut niger, pulcher; extrinsecus, ut fortunatus, felix; aut a quantitate, id est a mensura, quæ a corpore tantum descendant, ut longus, brevis. Sed non omnia nomina quæ aut qualitatem aut quantitatem significant, comparantur; sed quæ comparantur, qualitatis aut quantitatis sunt. Inveniunt enim nomen qualitatis, et non comparatur, ut mediocris. Aliquando aut unus invenitur gradus, aut duo, aut tres; sed ubi comparativus non invenitur, adverbium sciendum esse ponendum ad positivum, ut vicem comparativi impleremus, ut in hoc nomine pius, quia non facit pior, sed magis pius.

Meminerimus ita nos respondere cum interrogamur, qualis est ille vir? quia de qualitate sumus interrogati, unum aliquid ex illis tribus dicimus, aut doctus, aut pulcher est, aut mendicus; non dices a qualitate longus est, aut brevis. Quando enim interrogamur, quantus est? non possumus respondere nisi a mensura, aut longus, aut latus, aut brevis est. Nec nos terreat quod Virgilius dixit quantitatis nomen ad animam applicans: Magnanime Ænea; sed hic Græcum voluit imitari; non quia quantitas ab animo venerit, sed qualitatem animi per quantitatem laudare voluerit.

Nomina in comparatione anomala hoc signo probabimus, cum primam syllabam quam in positivo habuerint, in comparativo perdididerint: ut bonus facit melior, optimus; malus pejor, pessimus; magnus, major, maximus. Et hæc tria tantum in comparatione defectiva esse certum est.

Positivus gradus perfectus et absolutus ideo dicitur est, quia vis comparationis proprie in comparativo et superlativo gradu ponitur, et non in positivo. Sæpe invenitur comparativus ita positus, ut plus significet a superlativo, ut si dicamus, Doctior ille est a quovis doctissimo. Sæpe ita comparativus invenitur, ut minus significet a positivo; ut si vel mus dicere, Dulcius est mare Ponticum quam cætera; nullum enim mare non modo dulcius est, sed ne dulce quidem. Invenitur sæpe ita comparativus, ut vim positivi suscipiat, ut apud Virgilium: Senior Chæron, sed cruda Deo viridisque senectus fuit; sed senior pro eo quod est senex ponitur; non enim alter fuerat Chæron, cujus comparatione hic senior vocetur.

Inveniuntur autem nomina sono diminutiva, intellectu comparativa, ut grandiusculus, majusculus, minusculus. Comparativo et superlativo quinque hæc comparationis adverbia non ponimus, ut tam, minus, minime, magis, maxime, quæ tamen soli positivo adjiciuntur. Verum hæc ipsa adverbia inventa sunt propter ea nomina quæ aut comparativum, aut su-

perlativum habere non possunt, ut puta mediocris, quia mediocrior non facit, dicitur magis mediocris; item quia non facit medioerrimus, dicitur maxime mediocris. Nam superfluum est his nominibus adungere hæc quæ sine his comparativum et superlativum sumunt, ut si quis dicit magis doctus, cum possit dicere doctior; aut maxime doctus, cum sit superlativus doctissimus.

Gradus comparativus tribus casibus servit; nominativo scilicet interposita particula quam, ut doctior hic quam ille; ablativo, doctior illo; septimo, ut doctior ab illo. Verum hic gradus tam singulari numero quam plurali servire dignoscitur; sed hoc per septimum casum comparativus melius esse preferendus censetur. Sed ne supervacue quis dicat forte non necessarium eum esse septimum casum, quia significat tantumdem quantum et ablativus; istos multum a se distare cognoscat. Aliud est enim cum dicimus, illo præsentem suscipi; aliud, ab illo præsentem suscipi; per septimum casum significat se accepisse aliquid, nescio quo præsentem; per ablativum vero ab eo accepisse qui fuerat præsens.

Sciendum est autem hoc, quia si per comparativum aliquem præponere voluerimus, liceat nobis eum suo generi et extraneo posse præponere et dicere, doctior orator oratoribus, et doctior orator grammaticis. Cum vero per superlativum præferre voluerimus, qui certe servit genitivo tantum plurali, præponere eum suo tantum generi debemus, et dicere: doctissimus orator oratorum, doctissimus grammaticus grammaticorum. Verum illud non nos turbet, quia legimus superlativum servire genitivo singulari, ut apud Virgilium, ditissimus agri, fortissimus gentis; sed hæc 596 quamvis sono singularia sint, tamen intellectu pluralia sunt. Nam cum dicimus ditissimus agri, fortissimus gentis, intelligendum est quia res ista ex pluribus constet. Inveniuntur hic superlativus significans id mac positivus, et nulli comparatur; ut si dicamus Jupiter, Optimus, Maximus, non enim sunt alii Joves, quorum unus bonus, alter melior sit, unde hic posset dici Optimus et Maximus.

Genera nominum sunt sex: masculinum, ut hic Cato; femininum, ut hæc Musa; neutrum, ut hoc monile; commune duorum generum, ut hic et hæc sacerdos: utrumque generum, ut hic, et hæc, et hoc felix; epicænon, quod Latine proniscuum dicitur, ut passer, aquila. Verum inter commune et epicænon hoc interest, quia in communi pro sexu articulum variamus; in epicænon vero idem nomen est, et unus articulus. Ipsum vero epicænon ita definitur: genus in quo facile deprehenditur sexus, ut hic piscis; nam licet sint nautæ qui arte colligunt femininam piscem, tamen quia non sexu discernitur, ideo non mutatur articulus. Verum sic talis incidat eloquii, ut si quis duos habens passeres dicat, verbi causa, meus masculus sit, et subiungat, femina autem tua sit, ne is quidem per generis solocismum incurrit. Si enim dixit femina tua, cum superius dixerit, masculus meus, facit commune de epicænon, ut si dicat, hic et hæc passer; sed sciamus ita oportere dici, masculus meus sit, femina tua hic passer.

Verum ex generibus duo genera principalia reperimus, masculinum et femininum, ab his enim duobus generibus cuncti descendunt: nam neutrum est, quia nec masculinum nec femininum, ut si dicamus hoc scammum; ideo quia quemadmodum sunt masculina sive feminina, aut non gignit, aut non creatur. Sed ne quis objiciat dicendo: quare paries cum nec creet, generis masculini sit? Sciendum est quia in nominibus hujusmodi lectio, vel ipsa Latinitas imponit articulum: vel quare cum masculinum sit aut masculini, aut feminini generis, neutri esse dicatur; sed cum dicimus masculinum sive masculinum, sive femininum, nisi statim subiungerimus puerum puellamve, tale est ac si nec masculinum sit, nec femininum, sed neutrum; commune est, quia sub uno nomine utati sunt articuli, sive marem feminamve signifi-

cat: omne, quia masculinum, et femininum, et neutrum significat; quia (ut supra diximus) non esse potuisset, nisi fuissent illa duo genera, unde hoc diceretur; nam et hoc et illud uno nomine comprehendit. Epicænon, quia aut masculinum, aut femininum est utroque sexu.

Sunt præterea nomina quæ masculina sonant, intelliguntur autem feminina, ut si dicamus Eunuchum comœdiam. Sunt item contraria quæ feminina sonant, sapiunt vero masculina, ut Sylla, Cæcina. Sunt alia neutra sonantia, feminina quidem probantia, ut si dicimus Phronesium mulier, Glycerium meretrix. Sunt alia e contra sono feminina, intellectu neutra, ut poema, toreuma. Sunt alia quæ masculinum quidem sonum, et intellectu neutra habent, ut vulgus, pelagus. Inveniuntur etiam nomina quæ in pluralitate ab eo genere dissentiunt, quod in singulari numero tenuerunt, ut hoc balneum, hæc balneæ; hic tartarus, et hæc tartara; hoc cœlum, hi cœli.

Sunt nomina incerti generis inter masculinum et femininum, ut finis, dies. Legimus enim: Quem das finem, rex magne, laborum? et alibi ut, hæc finis Priami fatorum. De hac die dicit: venit summus dies; et alibi, ut hunc diem tertium tristis exspecta. Item alia sunt incerti generis inter masculinum et neutrum, ut vulgus, frenum, nam frenus et vulgus incerti generis sunt; legimus enim: stabulo frenos vidi sonantes; et: frena Peletronii Lapithæ. Vulgus masculini generis; hinc, spargere voces in vulgum ambiguas, neutrum est, ignobile vulgus. Item inter femininum et neutrum, ut buxus, prunus, malus; legimus enim, tympana vos, buxusque vocat. Et alibi dicitur, tornatile buxum; cæteraque in lectione lata poterunt agnosci. Verum hæc ubi de fructibus loquimur, neutra sunt; cum vero de arboribus, feminina. Nonnunquam ita inveniuntur arborum nomina, ut masculina sint, ut oleaster; nam legimus, sacer oleaster.

Sunt etiam genera nominum fixa quæ alterum genus ex se facere non possunt, ut pater, mater; non enim dici possunt patra et matra. Sunt mobilia, quæ aut propria sunt, et duo tantum genera faciunt, ut Marcius, Marcia; aut appellativa, ut bonus, bona, bonum. Sunt alia quæ ex aliqua parte in aliud genus transferuntur, ut gallus, gallina; draco, dracæna; rex, regina; et quia non dicimus gallus galla, draco draca, rex rega, ideo dicta sunt nec in totum fixa, nec in totum mobilia. Ideo autem in totum fixa non sunt, quia faciunt gallus, gallina; draco, dracæna; rex, regina; ideo autem nec in totum mobilia, quia convertuntur in femininum, et primæ syllabæ similitudinem tenent.

Inveniuntur etiam nomina primæ positionis quæ, dum ex se diminutiva faciunt, mutant genus, ut rana non facit ranuncula, sed ranuncululus; pistrinum non facit pistrinum, sed pistrilla facit.

Interdum inveniuntur nomina diminutiva quæ plus significant a nominibus primæ positionis, ut acus, acicula: acus enim dicitur a qua vestes sarcinuntur, acicula, qua mulieres utuntur ad ornatum capitis.

Sunt in a terminata nomina aut masculina, ut Sylla; aut feminina, ut musca; aut neutra ut toreuma, quod Græcum est. Nullum enim Latinum nomen neutrum in a terminatur in nominativo singulari, excepto uno Thoria, quod nomen est fluminis, quodque apud Sallustium lectum est; aut communia, ut rana, advena.

Nomina in e vocalem exeuntia, aut feminina sunt, sed tamen Græca, ut Agæne; aut neutra sunt, sed Latina, ut monile: nam masculina in istam regulam non veniunt.

Nomina in i vocalem exeuntia peregrina duo sunt generis neutri, ut gummi, siuapi; anomala duo, ut tragi, nihil.

Nomina in o vocalem exeuntia in nominativo, aut masculina sunt, ut Cicero; aut feminina, ut imago.

Nomina in u vocalem exeuntia neutra tantum sunt,

at cornu, galu, tonitru, gnu, veru. Hæc nomina in consonantes desinentia multiplices habent regulas : de quibus Doctus idcirco tacuit, quia de eorum nominum ratione Probi plenior libellus existat.

597 Numeri nominum duo sunt, singularis et pluralis, insurpat etiam tertium dualis numerus, qui venit in duobus tantummodo nominibus, in duo et ambo. Nam neque unum significo cum dico, duo venerunt, neque plures; non enim de duobus loquens possum dicere, omnes venerunt.

Sunt etiam nomina quæ nominativum singularem et pluralem similes habent, ut nubes, dies, quæ propter hoc dicta sunt numero communia. Sunt etiam nomina non habentia numerum pluralem, masculina, ut pulvis; non enim dicuntur pulveres, quamvis apud Horatium legimus: Nonvales dissipare pulveres. Sunt item generis masculini tantum pluralia, ut Quirites; quamvis legerimus, hunc Quiritem, ut, quis te redonavit Quiritem? Sunt item generis feminini tantum singularia, ut pax, lux, quamvis legerimus has paces, has luces. Sunt item semper pluralia, ut calendæ, nundinæ. Sunt semper singularia generis neutri, ut pus, virus, aurum, ferrum. Et sciendum est quod pene omnia quæ mensurantur vel ponderantur, non admittant numerum pluralem, quamvis multa sibi jam vindicaverit consuetudo, venit dicimus, vina, mella, hordea.

Sunt item semper pluralia generis neutri, ut, hæc arma, hæc moenia, non facit armum vel moenium; Saturnalia non facit hoc Saturnale: sed si fuerit templum, sic declinatur per utrumque numerum, hoc saturnale templum, hæc saturnalia templa; si vero fuerit hoc nomen, ut, quasi diem festum significet, tantum numeri pluralis erit. Sane sciamus quod his nominibus quæ non admittunt numerum singularem, apponimus masculinis uni, femininis unæ, neutris una; dicimus enim uni cancelli, unæ nuptiæ, una moenia, ut apud Terentium, ex unis nuptiis genitrix in hi facias; et apud Sallastium: hi postquam in una moenia convenerunt. Scimus vero quod superflue loquimur, quando dicimus: homo unus advenit; siquidem iam prædictus homo unum significat.

Inveniuntur etiam nomina positone singularia, intellectu pluralia, ut populus, concio; nam cum dicimus populus currit, sic sonat quasi omnis currat, nec tamen pluralem significat nomen. Nonnullis videtur in his nominibus pluralis numerus esse superfluus, cum horum singularis pluralem numerum in se continet, ut dicimus, hic populus singulariter, et hi populi pluraliter; sed quamvis populus pluralem numerum significet, tamen unus gentis est; populi vero gentium sunt diversarum. Sunt e contrario positone pluralia, intellectu singularia, ut Papiæ, Puteoli: quæ vero nomina non ideo plurali numero proferuntur, quia multæ Papiæ aut multæ Puteoli; sed quia horum singularis numerus nunquam lectus extiterit.

Figuræ nominum quot sunt? duæ, simplex et composita. Simplex nomen est, cum divisum nomen nihil dat Latinitatis, ut medicina; a eum dederit, non erit simile significationi unde descendit. Sic dividamus magister, magis, in adverbium comparativus, ter, in adverbium numeri; cum dicimus magister, figuræ compositæ non est; et quamvis divisi fuerit in duo adverbia, tamen dicitur figuræ simplicis, quia nihil dedit simile principalitati, sed quid dissimile ad magistrum; magis adverbium tamen non est, quamvis dividatur. Semper enim littera cum in medio fuerit sermone, transit in principium sequentis syllabæ; unde apud Græcos ἀρχὴν ἀρχεπύς vocatur, hoc est inchoativum elementum.

Composita est, quia cum divisum est nomen, dat aliquid Latini, vel simile sui, ut inductus: duo enim sunt integra consentientia significationi ejus nominis, unde separata sunt. Verum hæc figura composita fit quatuor modis: quia aut duo invenimus

int gra, ut suburbanus; aut corruptis, ut municeps; aut ex integro et corrupto, ut insulsus; aut ex corrupto et integro, ut nagerulus.

Quæruunt nonnulli quare cum dicat Donatus componuntur nomina, subje it ex duobus corruptis; ideo enim non potest esse compositum quid, nisi aut ex duobus integris, aut ex integro et corrupto, aut ex corrupto et integro. Sed sciendum est corruptum ita definire nomen, quod solummodo potest integrum reverti; et revera non diceretur corruptum, nisi aliquando fuisset incolume, ut si dicamus municeps, est enim dictum munera capiens; sed postea sub unius nominis contractione corruptum est. Ergo non nos fallat, cum interrogamus, municeps cujus figuræ est? non dicamus, simplicis; putantes quod nihil est municeps, quemadmodum par es; non enim est hoc verum, nam paries idcirco dicitur figuræ simplicis, quia solummodo (ut superius diximus) in integrum redire non potest. Ergo cum audierimus nomen esse figuræ simplicis, ulterius non interrogamus ex quibus modis.

Est verbum compositum ex aliquibus integris, ipsam divisionem accipiens, non eundem accentum eundemque pedem, quemadmodum habuerit nomen illud unde descendunt ista; ut puta si quis querat, Lucifer cujus figuræ? et dicat hoc nomen esse figuræ compositæ ex integro et corrupto, ut sit quasi huc luci; et nesciat quod cum dicimus Lucifer, ei syllaba correpta sit, cum autem dicimus huic luci, modo esse productam.

His ita se habentibus, illud maxime nosse debemus, quod in divisione figuræ compositæ, nullum alium casum nisi nominativum singularem querere debeamus. Meminisse etiam debemus, quod composita nomina ulterius non possint componi, ut impius; quamvis Donatus doceat ex pluribus posse componi nomina, ut inexpugnabilis, imperterritus. In duplicibus nominibus animadvertendum est, ut si fuerit duo nomi ativi, utramque partem declinemus, ut homo bonus; si nominativum sequitur quicumque casus, priorem declinemus partem, ut Domitius servorum; si priorem casum quemcumque fuerit sequens nominativus, sequentem declinabimus partem, ut jurisperitus: quæ tamen observanda sunt in quatuorvis nomine et numero, ut Jupiter, Optimus, Maximus, Capitolinus.

Sciendum est propria nomina non posse componi: appellativa vero ea componi posse, quæ aut lecta sunt composita; aut dum componuntur, placidum ad aures vocis sonum emittunt.

De casibus.

Casus sunt sex, ex quibus nominativus quare dicitur casus, superius dictum est. Antiqui **598** nominativum et vocativum similes habent; inde est quod etiam in Virgilio invenimus, Fluvius regnator aquarum: Duc, ait, et Rutulos equites Messapus in armis. Unde etiam Donatus hos rectos casus appellari commemorat, et reliquos obliquos. Ablativus non est apud Græcos, et ideo ab aliis Latinus, ab aliis vocatus est sextus. Assumunt quidam casum, quem septimum vocant, qui quantum differat ab ablativo, et quantum necessario sit inventus, præmissa ratione demonstravimus.

Sunt etiam formæ casuales sex; ex quibus intelligimus per quot varietates nomina inflectantur, vel quot eas similes unumquodque nomen obtinet. Inveniuntur enim nomina quæ per omnes casus quasi unum trahant declinationis colorem, ut si dicamus, nequam. Hic nequam, hujus nequam, huic nequam, hunc nequam, o nequam, ab hie nequam. Sunt quæ duas tenent varietates, ut est cornu, nam nominativus, et accusativus, et vocativus corruptum habent; genitivus, dativus et ablativus producti sunt. Sunt quæ varietates habent tres, ut templum; nominativus enim, accusativus, et vocativus unum

faciant colorem, ut hoc templum, hoc templum, A rint declinationis, necesse est ut nominativum his quinque modis terminent.

Sunt quæ quatuor habent varietates, ut species; nam nominativus et vocativus unum faciunt colorem, ut hæc species, et o species; genitivus et dativus unum faciunt colorem, ut hujus speciei, huic speciei; accusativus unum, hanc speciem; ablativus unum, ab hac specie. Inveniuntur quæ quinque varietates habent, ut hic doctus: nam solus nominativus unum facit colorem; genitivus unum, ut hujus docti; dativus et ablativus unum, ut huic docto et ab hoc docto; accusativus unum, ut hunc doctum; vocativus unum, ut o docte. Sunt quæ sex varietates habent, ut est unus; per singulos enim casus variat.

Sunt præterea nomina quæ aptota dicuntur, n in quod unum casum habeant, sed quod non flectantur. Quæ etiam monopota dicuntur, propterea quod similes casus per totam sui declinationem servant, nullum enim numerum privatum habent; nam cum dico frugi, incertum est, vel quem casum, vel quem numerum proferam.

Sciendum est etiam illud, quod ab uno usque ad tres declinemus; nam a quatuor usque ad centum declinatio non sequitur, a ducentis autem usque ad infinitum omnia declinantur, excepto mille, quod in singulari numero non declinatur: in pluribus vero numero, cum tamen scriptum sit per unum *l*, sic declinatur. Sunt nomina quibus dum in elocuti ne utimur, alia genitivum casum ducunt, ut ignarus utimur, alia genitivum casum ducunt, ut ignarus belli, sive bellorum; alia dativum tantum, ut amicus bono, quanquam Terentius in nominativo casu junxerit dicens: Amicus meus summus popularis Getha. Alia accusativum, sed per figuram, ut præscius futura, recte enim dicitur, ut præscius fu urorum; alia ablativum, ut dignus munere, mactus virtute; alia septimum casum, ut secundus a primo, nam non possumus dicere secundus primo, aut secundus primi, vel secundus primorum, aut tale aliquid.

De declinationibus.

Quinque genera declinationum sunt. Prima est quæ genitivum singularem per *æ* diphthongum profert tam in masculino genere quam in feminino, ut hic *Aneas*, hujus *Aneæ*; hæc *musa*, hujus *musæ*: in neutro vero genere aut non invenitur, aut ita invenitur, ut habeat communionem cum genere masculino vel feminino, ut advena. Hæc prima declinatio nominativum terminat modis tribus; exit enim aut per *a*, aut per *es*, aut per *as*, ut *musa*, *Anchises*, *Aneæ*. Verum ne quis nobis nominativum per *es*, genitivum per *æ*, ita præmittentibus, putet quia quæcumque nomina *a*, *es*, *as*, fuerint terminata, necesse est primæ esse declinationis; sed quæ sunt primæ declinationis sciendum est, quod nominativum singularem nominis his litteris terminent.

Secunda declinatio est quæ genitivum singularem per *i* profert; et est generis masculini et feminini, et neutri, ut Virgilius Virgili, fraxinus fraxini, prandium prandi. Sciendum plane est quod in hac declinatione omnia nomina genitivum singularem per unum *i* proferunt, exceptis his quæ in *ius* fuerint terminata, facit enim Mercurius Mercuri; aut *ium*, ut convivium convivii. Verum hæc secunda declinatio nominativum singularem terminat modis quinque, exit enim aut per *er*, aut per *ium*, aut *eus*, aut per *ir*, aut per *us*, ut piger pigri, negotium negotii, Tydeus Tydei, vir viri, doctus docti: ita tamen ut non separemus, ut dicamus Tydeus Tydei, ut significet potius quintam quam secundam declinationem; sed sub una istius syllabæ diphthongo concludamus dicentes Tydeus Tydei, et hoc Græca nomina sortiuntur: in Latinis enim non invenitur hæc diphthongo. Et de hac declinatione illud indicabimus, quod non quicumque nominativus singularis his quinque modis fuerit terminatus, necesse est ut sit secundæ declinationis; sed quæcumque nomina secundæ fac-

Tertia declinatio est quæ genitivum singularem per *is* syllabam profert, est enim generis masculini, feminini, neutri, ut Cicero Ciceronis, Juno Junonis, marmor marmoris; est etiam communis, ut sacerdos sacerdotis, est etiam trium generum, ut demens hujus dementis. Ista hæc tertia declinatio nominativum singularem terminat modis quadraginta uno: in *a*, in *e*, in *o*, in *i*, in *t*, in *al*, in *el* correptum, in *il* correptum, in *ol* productum, in *ul* correptum, in *an*, in *en* correptum, in *en* productum, in *on* productum, in *ar* utrumque, in *er* correptum, in *er* productum, in *or* et in *ur* utrumque, in *as* et in *es* productum, in *es* correptum, in *is* utrumque, in *os* correptum, in *os* productum, in *us* productum, in *us* correptum, in *ax* et in *ex* correptum, in *ex* productum, in *ix* et in *ox* correptum, in *ox* productum, in *ux* correptum, in *ux* productum, in *ans* et in *ens* productum tantum, in *ons* correptum, et in *ons* productum, in *uns* productum. In a neutrum, ut torrenna torrennatis, dulce dulcis, ordo ordinis, lac lactis, caput capitis, tribunal tribunalis, fel fellis, pugil pugilis, sol solis, consul consulis, Titan Titanis, lar laris, 599 cadaver cadaveris, ver veris, marmor marmoris, ebur eboris, fur furis, libertas libertatis, miles militis, pes pedis, navis, lis lis, os ossis, os oris, vetus veteris, senectus senectutis, capax capax, senex senis, lex legis, pax pacis, nox noctis, vox vocis, crux crucis, lux lucis, infans infantis, sapiens sapientis, insons insontis, pons pontis, arvens arventis.

Sciendum est autem quod omnia nomina in *ons* et in *ens* terminata per *tis* proferant genitivum, exceptis duobus nominibus, ut *frons* et *lens*: nam cum partem capitis significare volumus, dicimus frontis; cum vero folium, dicimus frondis; item si animal, lendis, si legumen, lentis. Verum ne quis putet hujus glandis dici, putans quod ita in Virgilio lectum est; sciat quod per nominativum dixerit. Sed hic lector agnoscat quod non quæcumque nomina ab his quadraginta et uno modis fuerint terminata, necesse est tertiæ declinationis esse; sed quæ sunt tertiæ declinationis, necesse est ut ab his quadraginta et uno modis ducant nominativum.

Quarta declinatio est quæ genitivum singularem per *us* profert, vel per *u*; sed per *us* in genere masculino et feminino, ut hic versus, hæc porticus, hujus versus, hujus porticus; per *u* vero in genere neutro tantum, ut hoc cornu, hujus cornu, hoc veru, hujus vero, hoc gelu, hujus gelu, etc. Verum hæc quarta declinatio nominativum singularem terminat duobus modis, *us* et *u*: ut hic gradus, hujus gradus, hoc gelu, hujus gelu. Et hic intelligendum est quod non quæcumque nomina in *us* et *u* fuerint terminata, necesse est quartæ esse declinationis; sed quæ sunt quartæ declinationis, necesse est ut habeant nominativum singularem in *us* vel *u* terminatum.

Quinta declinatio est quæ genitivum singularem per *e* et *i* separatas syllabas profert, et est generis feminini tantum, excepto uno dies, qui est generis incerti; *e* autem quæ est ante *s*, tunc in genitivo producta est, cum nominativus singularis *i* et *es* fuerit, ut series seriei; et tunc correpta est, cum aliquam ante se habuerit consonantem, ut fides fidei, res rei. Verum hæc quinta declinatio nominativum terminat uno modo; exit enim in *es*, ut species speciei. Verum non quicumque nominativus genere feminino in *es* fuerit terminatus, necesse est ut quinta sit declinationis; sed nomen quod fuerit quintæ declinationis, necesse est ut nominativum singularem in *es* habeat terminatum.

Omnia nomina (exceptis aptotis quæ interdum consonantibus terminantur, ut nequam) aut in *a* terminantur ablativo singulari, ut ab hac *musa*; aut *e*, ut ab hoc fonte; aut *i*, ut ab hac *puppi*; aut *o*, ut ab hoc docto; aut *u*, ut ab hoc fluctu. Sed quæ a termi-

natur, genitivum pluralem in *rum*, dativum et ablativum in *is* terminant, ut ab hac *musa*, harum *musarum*, his et ab his *mu is*. Sed quædam sunt nomina quibus discernendi s xus gratia corripimus regulam, ut a *filia*, *filiarum*, *filibus*. Quod si volerimus sequi *Dona um*, dætur sumus, *Ro naribus*, *casabus*. Sed cautum est ut in his hoc faciat, quæ in testamentis faciunt questiones, ut si quis habeat utroque sexus liberos, scribat: *Dimitto hoc filiis meis*, et incertum est utrum filios significaverit an filias. Sed in usu est ut dicamus *equabus*, *mulabis*, et *tere* hoc quatuor nominibus produxit jure loquela, *equa*, *equarum*, *equabus*; *mula*, *mularum*, *mulabus*; *fila*, *filiarum*, *filibus*; *dea*, *dearum*, *deabus*; quæ regula primæ declinationis est.

Quæ vero in *e* correpta fuerint terminata, genitivum pluralem hac ratione faciunt, ut *e* perdant, et *um* accipiant, ut ab hoc *pariete*, horum *parietum*. Ideo enim ita cavemus ne quis nobis objiciat, quare dixit, quæ in *e* producta terminata fuerint, in *rum* mittunt genitivum pluralem; inveniantur enim quæ in *e* correpta terminata in *rum* mittunt, ut ab hac *muliere*, harum *mulierum*; ab hoc *munere*, horum *munerum*; ab hoc *funere*, horum *funerum*. Sed hac illi ratione respondendum est, quod *e* excluso simul sonat in eadem syllaba quæcumque consonans fuerit inventa; quod si non excluso *e* junxeris *rum*, et dixeris, *muliere*, *mulierum*, merito questio videtur. Tale est enim quod in his nominibus dubitet, quale est si quærat, quare ab hoc *pariete* horum *parietum*, in *tum* non in *um*, nomine nominum, in *num* non in *um*, ut ab hoc *codice* *codicum*, in *cum* non in *um* mittat; sed *tan.en t*, vel *r*, vel *n*, vel *c*, non sunt simul cum *um* appositæ, sed sunt naturales, et per omnes casus fere decurrunt.

Verum hæc omnia idecirco questionem non pensius commoveant, quoniam non dixit artigraphus, illa in genitivo plurali in *tum* exeunt, illa in *num*, illa per *rum*, illa per *cum*; sed quia verbo non cautum est, ideo nasci videtur hæc questio. Sane sciendum est quod contra hanc regulam unum nomen venit, ab hoc vase, vasorum, *vasis*; causa euphoniæ ad secundam declinationem tres casus excepti sunt, casus genitivi pluralis, qui in *rum* abit, exire debuit in *um*, ut horum *vasum*; dativi et ablativi plurales, qui in *s* exeunt, in *bus* exire debuerunt, ut his et ab his *vasibus*; sed quia dictu asperum est, audius ex ellit. Quæ regula est tertiæ declinationis; non quia omnia nomina tertiæ declinationis per istam regulam declinentur, sed quæ per istam regulam declinantur, tertiæ sunt declinationis.

Quæ vero in *e* producta terminantur, genitivum pluralem per *rum*, dativum et ablativum per *bus* proferunt, ut ab hac *re*, harum *rerum*, his *rebus*; quæ regula femininorum nominum servit declinationi quintæ, excepto uno dies, quod nomen feminini generis esse sic probatur, quod nullum nomen sit masculini generis, quod ablativo singulari in *e* producta terminetur; masculini vero generis ita esse monstratur, quod licet adverbium hodie, quasi enim est hoc die. Quæ regula est quintæ declinationis.

Quæ vero in *i* fuerint terminata, genitivum pluralem permanent in ablativo casu, sed adjuncto *um*, in *um* faciunt, dativum vero et ablativum in *bus*; genitivus vero qui per *um* exit, tot habet formas; nam venit ab ablativo singulari in *i* terminato, qui ipse per *i* lites exit, cum nominativus singularis per *is* fuerit terminatus, genitivus singularis parum numerum syllabarum per *is* miserit, ut hic *ignis*, hujus *ignis*, ab hoc *igni*; quamvis *Lucanus* dixerit *igne vi.um scandens*: exceptis tribus nominibus, ut hic *mensis*, *juvenis*, *canis*. Aut cum nominativus singularis, in *is* terminatus, 600 fuerit generis communis, ut hic et hæc *agillis*; aut cum nominativus singularis in *e* correpta fuerit terminatus in genere neutro, et ablativum per *i* mittit; ideo ne faciat retractionem nomen, ut est hoc *nubile*, nominativus hoc

nubile, accus. hoc *nubile*, voc. o *nubile*, abl. ab hoc *nubile*; quod neutrorum nominum natura non patitur. Aut cum nominativus singularis in *ens* syllaba fuerit terminatus, sed in nomine; nam si participium fuerit, non ita erit, in *e* corripimus mittit; ut ab hoc *parente*; si vero nomen, ablativus in *i* exit, ut dicas ab hoc *parenti*; quamvis antiqui tertiæ declinationis nomina in ablativo singulari per *e* correptum proferre voluerunt, ut hujus rationis, ab hac ratione.

Sed nonnulla nomina ab hac regula visa sunt aberrare; idecirco illorum non declinatur auctoritas; veniunt enim contra, *vis*, *Tiberis*; non enim potest dici ab hac *vire*, vel ab hoc *Tiberi*. Aut exit genitivus supradictus pluralis in *um*, ab ablativo in *e* correpto terminato veniens: qui et ipse ablativus venit aut a nominativo singulari in *ons* terminato, ut *pons*, *ponte*, *pontium*; vel a genere feminino, ut ab hac *arte*, *artium*, *clade*, *cladium*.

Sciendum est autem quod non omnia nomina in *us* terminata, vel omnia nomina generis feminini ablativo casu singulari in *e* correpto terminato, genitivum pluralem necesse est ut habeant per *um* mittere; sed quæ in *e* correpta terminantur ablativo singulari, et genitivum pluralem per *um* mittunt, necesse est veniant a nominativo casu singulari in *us* terminato, vel a genere feminino. Hæc autem nomina quæ accusativum casum singularem per *m* proferrebant, ut hanc *navem*, hanc *puppem*, hanc *clavam*, nos hodie dicimus hanc *navim*, hanc *puppim*, hanc *cavim*; sane accusativum pluralem nominum horum per *eis*, quæ genitivum pluralem per *um* mittunt, nominativum per *es* melius proferimus, ut dicamus hæc *claves* per *eis* accusativum, per *es* nominativum pluralem hæc *claves*. Et revera, ne in confusione veniat dubia elocutio, ut si quis dicat, *puppes* regunt, incertum enim est utrum *puppes* alios regant, an *puppes* alii regant; quæ regula est tertiæ declinationis.

Quæ vero in *o* fuerint terminata in ablativo casu singulari, ut ab hoc *egregio*, genitivum pluralem per *rum* proferunt, ut horum *egregiorum*, dativum et ablativum per *is*, his et ab his *egregiis*. Duo contra-ria contra hanc legem inventa esse monstrantur, ut ab hac *domo*, harum *domorum*, his et ab his *domibus*; item ab hoc *jugero*, horum *jugerum*, his et ab his *jugeribus*.

Sed sciendum est antiquos declinasse omnia hæc nomina, quæstione sublata, ut dicerent quartam declinationem esse ab hac *domo*, harum *domuum*, his et ab his *domibus*; ab hoc *jugere*, horum *jugerum*, his et ab his *jugeribus*, ratione tertiæ declinationis: ut esset nominativus hic *juge*, et caret secunda declinatione *jug.r jugeris*, ut *tuber tuberis*; sed in eo, *domus*, nomine, ideo corruptus est ablativus tantum, quod minus salva quartæ declinationis ratione decurreret; et dum corruptus est ablativus singularis, necessario simul et genitivus; et in eo quod erat hoc *jugerum*, hujus *jugeri*, et ab hoc *jugero*, corruptus est genitivus pluralis, qui cum facere debuisset *jugerorum*, fecit *jugerum*. Item dativus et ablativus pluralis, qui cum facere debuissent his et ab his *jugeris*, fecerunt his et ab his *jugeribus*. Verum in his nominibus non artis aliqua ratione, sed euphoniæ dignitate hos casus excipimus, quæ regula est secundæ declinationis.

Quæ vero in *u* fuerint terminata ablativo casu singulari, ut ab hoc *genu*, *cornu*, genitivum pluralem semper per *um* proferunt, ut horum *cornuum*; dativum vero et ablativum per *bus*, his et ab his *cornibus*. Verum in dativo et ablativo plurali in penultima syllaba *u* litteram nomina illa servant, ne singula cum prolata fuerint, aliud significare videantur; ut si volens significare *artus*, his et ab his *artibus*, ne confusionem facianus inter *artus* et *artes*; similiter dicendum est *arcus*, *arcibus*; *arcus*, *arcibus*.

Sciendum est quod non cadunt in hæc quas supra diximus *regulas* nomina aetolia, ideo quod in ablativo

casu singulari aut per consonantes exeunt, quod certe ablativi natura non recipit, ut ab hoc nequam; aut si per vocales exeunt, non mittunt genitivum pluralem in *um*, ut frugi non facit frugium, nihili non facit nihilium, quemadmodum puppi puppium facit. Inveniuntur nomina tamen singularia quæ in genitivo plurali regula non possunt, ut hic pulvis, horum pulverum; inveniuntur tamen pluralia quæ ablativum non habent singularem, quæ aliter exeunt in genitivo plurali, ut Vulcanalia, utrum horum Vulcanaliorum, an horum Vulcanalium dicamus, incertum est. Sed hoc sciendum est, quod cum talia occurrunt nomina, ad alia nos his similia conferre debemus, quorum declinatione docti sumus, etiam ista simili ratione declinamus: ut puta, si nesciamus utrum horum Vulcanaliorum an Vulcanalium faciat, ponamus e contrario sedile nomen, quod habet in ablativo casu singulari sedili, et ad hanc collationem incipiamus declinare, ut hæc sedilia, horum sedilium, hæc Vulcanalia, horum Vulcanalium; quamvis contra hanc artem possit dici Vulcanaliorum, quemodo anciliorum, dicente Horatio: Ancilio um nominis et togæ oblitus est.

Sciendum est quod neutra nomina in nominativo plurali in *a* terminata genitivum pluralem per *um*, non per *orum* proferunt, ut agilia, agilium, fortia, fortium. Illud præterea nosse debemus, quod ea nomina quæ in numero singulari genere dissentiant, genitivi pluralis et ablativi singularis legem non suscipiunt, quamvis illud habeant, ut hoc caepe, hæc cæpæ; sed hæc nomina tali arte, quali illa superius declinabimus, ut hæc cæpe, harum cæparum; tamen nomina numeri pluralis sunt. Quæ vero singularis numeri genere dissentiant a plurali, ac si essent tantum numeri pluralis, non veniunt ad supradictas regulas quas a Græcis sumpsimus, ut poema, thema, schema, ideo quod ablativum Græci non habent, unde possint regulas ista nomina suscipere, quia invenimus hæc ipsa apud antiquos feminino genere declinata.

Analogia est rerum similitum collatio, quæ nos docet, cum nobis in aliis velut similitum nominum obijcitur declinatio, quid quæramus et probemus, hujus comparationis an firma sit quæstio. Igitur in analogia ista requiruntur tria: accidentia nominum, exitus syllabarum, et penultimæ consonantes; ut si quis nobis obijciat lupus, et lepus, dicens: Quare facit lupus lupi, et lepus **601** leporis, currendum est ad analogiam, et scrutandum est si omnes prædictæ partes inter se conveniant; nam si una pars harum titubaverit, jure vincitur contententis objectio. Curramus ergo per singulas partes ita: Lepus appellativum nomen est, et illud appellativum; lupus non comparatur, nec lepus; lupus numeri singularis, et lepus similiter numeri singularis est; lupus figuræ simplicis est, et lepus figuræ simplicis; lupus casus nominativi, et lepus ejusdem; lupus per *pus* exit, et lepus per *pus*; sed quia in solo genere titubat analogia, declinatur illud per duo genera, et illud per unum. Illud præterea nosse debemus, quod Græca nomina a sua melius declinatione proferuntur, ut hæc Dido, hujus Didos, huic Dido, hanc Didon, o Dido, ab hac Dido.

Nominativus in Latinis aut in *a* terminatur, ut musa; aut in *e*, ut sedile; aut in *i*, ut frugi; aut in *o*, ut Cicero; aut in *u*, ut cornu; aut in *l*, ut mel; aut in *um*, ut scammum; aut in *en*, ut carmen; aut in *r*, ut puer; aut in *s*, ut doctus; aut in *x*, ut pix; aut in *t*, ut caput; aut in *c*, ut halec: cujus declinatio in dubitationem cecidit; incertum est enim utrum halec an halect dicatur, ideo quod nullum nomen in *c* terminetur, nisi hac; quod et ipsum in majorem venit dubitationem. Hac enim dici non potest ideo, ne in genitivo faciat lacis, lactis enim non est; huic siquidem in nominativo nominis litteram non invenimus *t*, lact autem dici non potest, quia nullum nomen reperiri potuit duabus mutis terminatum, unde posset

A facere lactis apposita *t* littera in nominativo singulari; lacte solum remansit, quod quasi ex arte diceretur, quod terminetur quasi nomina neutri generis, ut monile, sedile et cætera hujusmodi nomina; et auctoritate Plauti, qui dixit: sicut lacte lactis simile est: sed quamvis non arte, sed ex auctoritate firmetur, tamen sciendum est quod hodie usu ita loqui debemus, quemodo locutus est Virgilius:

Lac mihi non æstate novam, non frigore destit.

De pronomine.

Pronomen est pars orationis; atque ideo dicitur est pronomen quia cum pro nomine positum fuerit, pene idem quod et nomen significare videtur. Idem autem dictum est pene, quia si dicatur tantum idem, pronomen pars videretur esse superflua. Sed constat quia nomen majorem sibi significationis vindicet partem. Vim enim suam tunc pronomen obtinet, quando præcesserit nomen; ut si dicamus, Cicero defendit Roscium; ipse etiam Syllam. Ille enim, ipse, sic est positum, tanquam si de novo repetissemus Cicero: sed pro illo nomine propter fastidium iterationis nominis pronomen videtur inventum.

Verum ne quis hoc in quæstionem ducat, quare dicatur pronomen, et pro nomine sciat dictum esse pronomen; si vero pronomen non e-*set*, nomen sub una conclusione collectum esset; sed non est pronomen, et nomen, quemodo curatorem non dicimus procuratorem. Separat autem eam partem Donatus a cæteris partibus orationis, cum dicit pronomen partem esse orationis quæ fungitur vice nominis; nulla enim de illis tribus partibus orationis hoc sustentat officium.

Verum hæc ipsa particula personam suscipit certam in tribus, nec amplius pronomibus, ut ego, tu, ille. Accidunt pronomini sex, qualitas, genus, numerus, figura, persona, casus. Sed qualitas biliarie dividitur in ea pronomina quæ vocantur finita, quæ idcirco finita dicuntur, quia suscipiunt personas; et in ea quæ sunt infinita, quæ ideo infinita dicta sunt, quod significationis certæ non habent finem; et sunt septem, quis, qualis, talis, quantus, tantus, quotus, totus.

In hac re Plinius Secundus grammaticos reprehendit, quare accidens commune dicunt, cum aliud sit accidens, et id cui accidit; hinc dicunt pronomina finita esse, quæ sunt etiam personæ. Nam cum quæramus finitum pronomen, invenimus, ego; et cum primam personam, invenimus iterum, ego: itaque fiat, ut unum sit accidens, atque illud, cui accidit. Sed scire debemus quod hujusmodi definitores non tam in ratione quam in ordine erravere verborum; dicentes personas pronomibus accedere, cum dicere debuissent finita pronomina esse, et easdem personas, quia infinita non recipiunt personas; nunquam enim inveniuntur absque personis. Constat tamen finita pronomina non esse nisi duo, ego et tu; verum, ille, tunc finitum est, cum rem præsentem ostendimus; si autem de absente sit relatio, minus quam finitum erit, ut hic. Minus quam finita pronomina dicta sunt, quia minus quam finita significant, ut sunt sex, is, idem, se, ipse, iste, hic. Et enim, ipse, non potest dici, nisi sicut de eo qui jam notus est, aut de eo de quo jam nominatio est facta sermonum. Nam cum audio, ipse venit, plus est quam finitum apertissime; licet jam cum non videam, de quo dicatur; minus autem a finito, quam ultro potest admittere in quæstionem, ut si quis dicat, ipse venit, sed ad hos qui ignorant, de quo audiunt.

Sunt etiam quinque possessiva, meus, tuus, suus, noster, vester; quæ idcirco dicta sunt, quia per hæc nos aliquid ostendimus possidere; nemo enim dicit, meus, nisi sit quod possideat.

CAPUT II.

De verbo.

Verbum dictum est, quia verberato aere *l* ut *s*

num; et ex illa causa ista pars sibi hoc nomen specialiter sumpsit, quod hac frequenter utimur in oratione. Nam frequenter in sermone composito duo verba invenimus, unum nomen, vel unum participium; ut puta, Virgilius habet recitare; ecce, habet et recitare duo verba sunt: illæ sunt singulares partes.

Verbum est pars orationis cum tempore et persona. Scire debemus quod verbum illud est maxime, quia habet personam simul et tempus; si enim aliter fuerit, non est verbum; nam si tempus solum habuerit, participium est; si personam solum, pronomen est; si utrumque simul fuerit, verbum est.

Verbum aut agentis aut patientis habet significationem, ut scribo, scribor; scribo, agentis; scribor, patientis. Neutrale vero, et deponens, aut agentis, aut patientis, ut curro, vapulo, loquor, luctor. Commune, agentis et patientis, ut osculor te, et osculor a te.

Qualitas verborum in molis et in formis est. **602** Donatus quidem præpostere posuit, ut prius de modis diceret, et sic de formis, de quibus hic prius tractare debemus; nam formæ proprie sensum tenent vel genus. Scire autem debemus quia formæ inde dicte sunt, quod nos in unamquamque rem informant; quia per eas ostendimus quid geramus. Quid enim significat verbum, per formas agnoscimus. Formæ verborum sunt quæ tenent sensum; modi autem sunt qui ad declinationem pertinent. Unde scio quid sit declinatio, nisi prius didicero quid sit sensus? Ideo dixit Donatus, quas formas alii verborum generibus, vel significationibus permiscet. Nam forma proprie sensum tenet, vel genus; ut puta, meditativa declinatio, quasi meditantis sensus est, id est, legere copio. Nunc de singulari formis tractabimus.

Inchoativæ formæ sunt quinque regulæ quæ ostendunt formam inchoativam: si a neutra verbo originem sumant; si in *scō* syllabam exeant; si tertiæ sint conjugationis correptæ; si careant tempore præterito perfecto et plusquam perfecto (nam quod perfectum est inchoativum esse non potest); si careant participio futuro, ut fervereo, fervesciturus nemo dicit.

Frequentativa verba tunc sunt primæ conjugationis, quoties verba in *to* exeant, ut lectito lectitas, cursio cursitas; quoties vero in *so* terminantur, in tertiam transeunt, ut facesso, lacesso. Consuesco, consuevi vide ut non esse inchoativum, quia præteritum perfectum habet; quidquid enim inchoatur, præteritum non habet.

Sunt etiam frequentativa a nomine venientia. Hic Donatus erravit, nam patrizat, idem est ac patrizat, similis est. Perfecta forma est, ut sorbeo, sugo, sit inde quasi diminutio, sorbillo, sugillo. Sunt sine origine perfectæ formæ, ut vacillo, pitisso, non enim facit pito, vaco. Inchoativis sunt similia, ut compesco; sed quia compescui facit, non est inchoativum, quia necit perfectionem inchoatio.

Inchoativa sunt in *scō* a perfecta forma, ut horreo perfecta est; nam horreo perfectum, horresco inchoativum est. Sunt quæ originem non habent, ut consuesco, quiesco; et hic Donatus erravit, quia hæc inchoativa verba dixit; nam præteritum habent consuevi, quievi; et go nec inchoativa sunt.

Notandum est quia modi ipsi significationes suas habent; indicativus, ut lego, ex hoc dictus, quia per ipsum indeo quid dicam vel faciam, et hoc de cæteris, ut legitur; permissivus modus excludi debet, quare? Quid enim prodest modum dicere, cum habeamus futurum tempus, ut legam? Infinitivus, ut legere, non accipit pronomina finita; nemo enim dicit, legere a me, a te, ab illo: ideo Donatus sic docuit. Impersonalis vero accipit, ut legitur a me, a te, ab illo, a nobis, a vobis, ab illis. Quidam hunc modum pro genere ac significatione accipiunt; nam sic impersonalis habet, quia omne verbum recipit genus verbi; quemodo enim dico, ego lego, tu legis, ille legit: sicut, legitur a me, a te, ab illo.

A se veniunt hæc verba quæ in *et* exeunt, ut pedet; nam pideo nemo dicit. Alia aliunde veniunt, ut ludo, nam latio facit; ergo quasi aliunde suscipit declinationem. Scire autem debemus quod nullum participium ab *eo* in *us* exit.

Quinque rebus intelligitur conjugatio, si temporis presentis sit, si numeri singularis, si indicativi modi, si in activo habuerit ante se litteram in secunda persona unam ex tribus, ut puta *a, e, i*; si in passivo ante *ris*, syllabas easdem habuerit. Prima et secunda conjugatio habent regulas simplices: de tertia scire debemus, quod si *i* correptam habuerit, futurum tempus in *am* tantum mittit, ut lego, legam; si productam, in *am* et in *bo*, ut nutrio, nutriam, nutribo facit. Scire autem debemus quia tunc *e* correpta, quando *i* secundæ personæ activi temporis presentis transit in *e* in passivo, ut lego legis, legor legeri; quando permanet *i* et in activo et in passivo ante syllabam, producta est, ut audio audis, audior audiris. Odi, sum, possum, neutra defectiva sunt.

Scire autem debes quod ipsa recta verba sunt, quæ in declinatione servant species suas, ut puta, lego, legebam, legi, etc., et sic in passivis. Gaudeo vero, fio, soleo, quia mutant præteritum, non sunt vera verba, sed neutra passiva dicenda sunt; quæ ideo Donatus ita appellavit, quod inæqualia dicantur. Cedo, vel ave non declinantur, sed quemadmodum lecta sunt, dicimus. Incertæ vero significationis verba sunt, quæ pro arbitrio nostro dicimus, ut condio, condis, condior, e. c. Adulor participia etiam recipit omnia; facit enim adulans, adulaturus, adulandus. In verbis quidam dualem numerum dicunt, id est communem, ut legor, sed falso; nemo enim dicit ego legor, nos legere.

Præteriti temporis differentia sunt tres: imperfecta, quam statim dimitimus; perfecta, quam dudum dimisimus; plusquam perfecta, quam jam dudum dimisimus, legebam, legi, legeram. Donatus dicit non posse inveniri ante *o* in indicativo modo primam personam, præter tres litteras vocales aut *e*, aut *i*, aut *u*; etiam est *o* quartæ, sed Græcæ, ut boe, boas, boat, unde est illud: Reboant silvæque, et magnus Olympus. *ko* non præponitur, verum est, sed *k* præponitur, ut kalenda.

Sunt verba defectiva, alia per modos, ut cedo, id est die, non facit cedebam, quamquam lectum sit in plurali numero, cedit, id est, dicite; alia per formas, ut laceso, quod perfectum non habet, nam lacio, factito facit; alia per conjugationes, ut adsum, ades; non potest colligi conjugatio, quia nec habet *a* ante ultimam litteram, nec *e* productam, sed cor eptam, nec *i* correptam, nec productam; alia per genera, ut gaudeo, gavisus sum; alia per numeros, ut latio: latus enim nemo dixit; alia per figuras, ut impleo; alia per tempora, ut ferveo, fervebo; nemo dicit, et ferviturus; ne nos turbet, quod eadem reperit.

CAPUT III.

De adverbio.

Adverbium est quod verbo accidit, ut puta, docte fecisti: docte, adverbium; fecisti, verbum. A nomine et verbo veniunt adverbia, ut pedetentim; nomen est pes, tento, verbum. Verum unam partem ferunt orationis a participio veniens adverbium, ut indulgens, indulgentior. Hic erravit Donatus, nam indulgens non est participium, quia comparativus, facit enim indulgens, **603** indulgentior. Aliqua in *o* productam exeunt, ut falso; nam adverbium esse potest: ut falso ad me relatum est; et falso locutus est, item datus et ablativus casus, huic et ab hoc falso. Facile et difficile nomina melius dicimus quam adverbia, licet pro adverbis sint posita. Cæterum si essent adverbia, faciliter et difficilius facerent; nam quæcunque nomina dativo singulari in *i* exeunt, adverbia in *ter* mittunt, ut huic sapienti, sapienter; sic et huic facili, faciliter. Digitized by Google

Regula adverbiorum talis est, ut nomen quod in dativo casu singulari in *o* fuerit terminatum, in *e* mittat, ut huic doct-, docte; si in *i*, in *ter* mittit adverbium, ut huic sapienti-, sapienter. Sed hanc infringit regulam auctoritas; nam dixit Virgilius, sanguinei lugubre rubent, pro lugubriter; et Terentius, parce ac duriter urget, pro dure. In dativo manent, ut falso, vel sedulo: sed faciunt adverbia false, sedule. Quædam contra faciunt, ut a duro, duriter; sed in his potius ars dicenda est. Intus et foris, quoties ad locum significant, non habent præpositiones; nulli enim adverbio separatim additur præpositio; nemo dicit ad intus, ad foris.

Comparantur etiam adverbia, ut docte, doctius, doctissime; sed non omnia adverbia per omnes gradus exeunt, ideo his ad augendam significationem iungimus magis, maxime, quæ augmentis sunt: ad minuendam vero significationem minus, minime, quæ minuuntis sunt; quemadmodum enim comparantur, ita diminuantur. Aut a positivo veniunt, ut primum, primule, longe, longule. Aut a comparativo, ut longius, longiuscule, melius, meliuscule. A superlativo gradu non inveniuntur talia adverbia, ideo dixit, rara vel nulla sunt.

Sunt item multæ dictiones dubiæ; nam adverbium in omnibus partibus invenitur societate conjunctum cum nomine, ut falso; huic et ab hoc falso, nomen est; at si dicamus falso locutus est, adverbium est. Item cum pronomine, ut si dicas, cu viro, pronomen est; si dicas, qui convenit, adverbium est. Cum verbo, ut pone, quod accentu discernimus; nam cum producimus ultimam, adverbium est; quando corripimus, verbum. Cum participio, ut profecto; nam adverbium est affirmantis, profecto, ut, profecto audit; quanto magis suspicor esse participium profecto, a verbo proficior? Cum conjunctione iungitur, ut, at audi; nam conjunctio ita est, ut, at illud contingit; id, nisi fallor, adverbium est, ut at at veni, hoc dictum est, id est, statim veni. Cum præpositione iungitur, ut ante, vel propter: ut, ante omnes homines, præpositio est: ante fecit, adverbium; propter te hoc facio, præpositio est; ille propter erat, id est iuxta, adverbium est. Cum interjectione iungitur, ut heu! nam si dicas, heu! quid contingit? interjectio est dolentis. Heu! etiam mensas consumimus, heu adverbium est.

Verum est quod dicit Donatus, nominibus civitatum non addimus præpositiones, ut puta, Roma venio, et reliqua. Sed hoc confundit auctoritas; nam Sallustius dixit, cum Brutus a Roma abierat. Sed hanc regulam tenere debemus, ut, quoties nominativus in *us* syllaba fuerit terminatus, tunc secundum genitivum melius dicamus, ut puta Adrumetus, Adrumeti sum; quoties a iter, secundum dativum dicimus, ut Carthago, Carthagini sum. Sed etiam hoc confundit auctoritas; Sallustius, Narbone consilia Gallorum, pro Narboni; et Virgilius: Tyria Carthagine, quæ nunc exspectat, pro Carthagini. De præpositio adverbis non applicatur. Cæterum solocismus est, si dicamus de mane; mane adverbium est, de autem præpositio. Nec nobis præjudicant illa adverbia debinc, desubito, si uno proferrantur acentu.

CAPUT IV.

De participio.

Participium dictum est, quasi parti-cipium, quia duarum partium sibi vindicat leges; habet enim partes a nomine, et a verbo, ut hic amans; duo recipit a nomine, genus et casus; nam quando dico, hic amans, vel hæc amans, genus est; casus vero facit, hic amans, hujus amantis, et reliqua: et a verbo duo tempora et significationes recipit; nam temporis est præsentis amans, aliud enim amans, aliud amaturus, aliud amatus. Significationem activam habet, ut doctus et docturus; passivam, ut doctus docendus; ab utroque numerum et figuram accipit.

Numeri nomini vel verbo accidunt, ut homo, ho-

mines; lego, legimus. Figura duplex, ut, felix, infelix: similiter verbo, ut scribo, describo; ergo ista participia recipiunt numerum singularem, ut hic legens; pluralem, ut hi legentes; figuram, quia simplicia sunt, ut legens; et imposita, ut legligens. Sane participia ab activo et neutro veniunt duo præsentis temporis scilicet et futuri, ut amans, amaturus; stans, staturus. Verum est: nam si sic declinetur neutrum, quomodo activum, rite ista tempora habet, quæ activum verbum.

Inchoativa verba participia præsentis tantum temporis habent, ut horresco, horresco, horresciturus nemo dicit, et reliqua. Defectiva verba unam interdum habent tempus, præteritum scilicet, ut soleo, solitus. Memini, nullum tempus habet, quantum defectivum sit. A non defectivo verbo participia defectiva sunt, ut studeo, studebam, studui, et reliqua; studens quippe non deficit, studui us quippe nemo dicit. Ut breviter colligamus, habere quatuor res participium dixit, aliquando præsentis temporis tantum, ut horrescens; interdum nullius, ut memini; interdum unius, ut solitus; interdum a non defectivo verbo participia defectiva sunt, ut a labor, lotus: ab impersonalibus verbis non inveniuntur participia, nemo enim dicit penitens. Tunicatus non est participium, quia non facit tunicor verbum, sed potius nomen est. Pransus, cœnatus similia sunt, quemadmodum tunicatus, quæ non solum dicimus nomina, sed etiam participia; nam licet prandeo, prandeor non facit, tamen pransus nomen facit; tunica autem nullum verbum facit, sed dicamus participia sine verbi origine. Sunt velut participia, quæ licet a verbo veniant, tamen quia tempus non habent, nomina sunt; ut puta furibundus, moribundus, nam facit morior, furio. Sed est alia ratio qua intelligis ista non esse participia: quia participia præsentis temporis litteram in *us* vertunt, et faciunt futurum passivi, ut legens, legendus; et iterum si tollas *us* de novissimo, et ponas *s* præsentis temporis, participium facis, ut legendus, tolle inde *us*, et facis legens; non moriens, moribundus non facit, sed moriendus; nam nemo dicit esse ab eo, quod est morior. Passus et usus, participia sunt et nomina: nomen est, usus mei pallii; participium est, usus malefacere.

Participium defectivum est, quod non potest ire per omnia tempora, ut cœpius, cœpiendus nemo dicit. Sunt participia, quæ accepta compositione fiunt nomina ut acceptus, incensus, incensior, acceptior, dum comparantur, nomina sunt. De participiis adverbia non fiunt, quod impugnavit Donatus, verum est; auctoritatem non de se dedit, cum dixit id a se fuisse lectum. Cæterum nemo dicit videnter, legenter.

CAPUT V.

De conjunctione.

Conjunctio dicta est, quia coniungit elocutiones. Hæ sunt conjunctivæ, ut ego et tu eamus. Disjunctivæ sunt, quæ quasi disjungunt res, vel personas, ego aut tu; nam quando dico ego aut tu, sensum quidem disjungo, verba vero conjuncta sunt; qui enim dicit, non dicit, faciam ego, et tu, sed unus e duobus. Expletivæ sunt, ut si dicas: si hoc non vis, saltem illud fac, quasi explevit rem. Præpositiva conjunctio est, ut est, at pater Aneas; nemo dicit, pater at Aneas. Subjunctivæ sunt, ut est, primæque Machaon; non, quo primus Machaon. Communis est, ut, igitur, quia ubivis ponitur; igitur hoc facio, igitur hoc.

Sunt conjunctiones quæ adverbia possunt esse: ut est, ante firmissimum virum accipio, adverbium est; item conjunctio est ut, An te malus abstulit error? Nam et si omnes partes possunt esse adverbia, rite conjunctiones hoc cadit. Conjunctiones pro significationibus suis poni debent: causales in causa, rationales in ratione; nam ante causa præcedit, et sic

ratio sequitur; ut puta, occido illum, qui habet tunicam, causa est: itaque veneno illum occidi, non ferro, ne agnosci possit, ratio est: causalis, si illum occidero, habeo tunicam; rationalis, itaque veneno illum occidi, ne agnosci possit. Sed hanc rationem mutat auctoritas; nam et Virgilius conjunctionem pro alia posuit dicens: subjectisque urere flammis, pro ve-

CAPUT VI.

De præpositione.

Præpositio est dicta, eo quod in loquendo præponitur, ut puta, ante templum, non templum ante. Præpositio autem aut mutat aliquid in contrarium, ut felix, infelix; aut implet, ut fractus, infractus; aut minuit, ut validus, invalidus, et cetera quæ Donatus posuit. Diximus, quod præpositio semper præponitur; tamen invenitur postposita, ut mecum.

Præpositiones aut casibus applicantur, et non coniunguntur, ut, apud amicum causatum est; apud præpositio non coniungitur, quia nemo dicit conjuncte apud amicum: aut loquelis serviunt, et coniunguntur, ut di, dis, re, se; nam facit diduco, distraho, recubo secubo. Ergo aut præpositiones loquelaes sunt, et semper junguntur; aut separantur et coniunguntur, ut præ me, secum. In et con hanc habent regulam cum præcesserint, ut si eas vel f vel s litteræ sequantur, superiorem naturaliter brevem faciant longam, ipsisque dent accentum, ut infula, consilium. Usque, præpositio non videtur, quia cum altera præpositione præteritur, præpositionique jungitur, ut si dicamus: usque ad forum vado, usque sola, præpositio non est. Præjudicet circumcirca, ibi jam una est sibi præposita. Tenus quoque præpositio per soni dulcedinem subjungitur, ut puppe tenus, debuit enim dicere præ, tenus puppe.

Cæteræ vero super, subter, ablativo junguntur, et ad locum significant, velut super cathedra sedis: quando hæc dicimus solæophanes, id est species solæcismi est. Super et subter accusativum regunt; sed

super, quotiescunque designat aliquem, ablativum regit, ut puta: Multa super Priamo rogatus. In et sub variant; quemadmodum in accusativum regit: ut si dicamus, in adulterum, hoc est contra adulterum. Varia autem exempla istarum præpositionum, vel integra, vel composita sunt, quæ subjecit Donatus.

Præpositiones verba corrumpunt, ut conficio, nam ante fuit con et facio; aut ipsæ corrumpuntur, ut ruffero, nam ante fuit sub et fero; aut corrumpunt, et corrumpuntur, ut sufficio; nam ante fuit sub et facio; vel suscipio et suspicio, nam ante fuit sub et capio, et sub et aspicio.

Antiqui præpositiones genitivo, accusativo et ablativo jungebant, ut crurum tenus, et longo post tempore. Scire autem nos debemus quia præpositio cum præposita non fuerit, vel cum mutaverit casum, vel non habuerit, desinit esse præpositio, et fit adverbium: ut longo post tempore, mutavit casum, post tempus enim dici debuit; deinde casum non habet, ut ante fecit. Separatæ præpositiones separatis præpositionibus non coherant, ut si quis dicat antejusta eum, in hoc jam, ante, adverbium non est. Dicunt etiam præpositioni accidere figuram, ut abs, absque; et ordinem, et subjectivæ sunt, ut puppetenus, mecum. Sed propter duas res non debemus frangere regulam: dicimus potius hæc anomala esse, id est extra regulam.

CAPUT VII.

De interjectione.

Interjectio dicta est, quod interposita aliis paribus orationis variis animi affectus exprimat: nam aut exsultantis est, ut eia; aut optantis, ut, o mihi præteritis referat si Juppiter annos! aut increpantis est, ut, o qui res hominumque deumque; aut dolentis, ut heu! aut timentis, ut ah! ah! Hoc apud Græcos fit, ut interjectiones subjungant in adverbis: apud Latinos autem non fit; nemo dixit: Papæ feci.

M. AURELI CASIODORI DE ORTHOGRAPHIA.

PRÆFATIO.

605 Cum inter nos talia gererentur de Complexionibus apostolorum nonnulla nasceretur intentio [ed., mentio], monachi mei subito clamare cœperunt: Quid prodest cognoscere nos, vel quæ antiqui fecerunt, vel ea quæ sagacitas vestra addenda curavit nosse diligenter, si quemadmodum ea scribere debeamus omnimodis ignoramus; nec in voce nostra possumus reddere quæ in Scriptura comprehendere non valemus? Quibus respondi: Hæc quæ dicerent, designata esse, quemadmodum et intelligi debeant et proferri. Sed labor nobis antiquorum omnino servandus est, ne nos auctores earum rerum mentiamur, qui [ed., quarum] sequaces esse cognoscimus. Et ideo duodecim auctorum opuscula deducimus in medium, quæ ab illis breviter et copiose dicta sunt; ut et nos ea compendiosius dicamus, et a priscis auctoribus sine varietatis studio dicta recolantur; quatenus et vobis plenissime satisfacere videamur, et auctoritate firma sit relatio, quam duodecim auctorum textus insinuat. Jam tempus est ut totius

operis nostri conclusionem facere debeamus; ut melius in animo recondantur, quæ septenaria conclusionem distincta sunt.

1. Post Commenta Psalterii, ubi (præstante Domino) conversionis meæ tempore primum studium laboris impendi.

2. Deinde post institutiones quemadmodum divinæ et humanæ debeant intelligi lectiones, duobus libris (ut opinor) sufficienter impletis, ubi plus utilitatis invenies quam decoris.

3. Post Expositionem Epistolæ quæ scribitur ad Romanos, unde Pelagianæ hæreseos pravitates amovi, quod etiam in reliquo commentario facere sequentes admonui.

4. Post codicem in quo artes Donati cum commentis suis, et librum de Etymologiis, et alium librum Sacerdotis de Schematibus (Domino præstante) collegi; ut instructi simplices fratres (sibi necesse fuerit) similia dicta sine confusione percipiant.